



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 10. Novi Archiepiscopi conatus pro recipienda Constitutione Unigenitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

Sæc. XVIII. tandem prævalente pacis desiderio, at-
 A. C. 1729, que obsequio Ecclesiæ debito decerne-
 ret, tutius longe fore, proprii iudicii
 duritiem frangere, quam toti Christiana-
 næ Reipublicæ offensionem dare, hæ-
 resisque suspicionem incurrere. Hoc
 ipsum tamen generosum prudensque
 Noaillii consilium Quesnelistæ in animi
 levitatem, indignamque ignaviam
 vertebant, adeo, ut Morelierus Sor-
 bonæ Doctor Noaillii indolem propu-
 diose hoc carmine describere haud ve-
 reretur :

Vir simplex, fortasse pius, sed
 Præsul ineptus,

Vult, tentat, peragit, plurima,
 multa, nihil.

Quam tamen calami temeritatem hic
 Doctor exilii pœna eluere coactus est,
 atque inter ipsa hæc refractariorum con-
 vitia Noaillii fama post cineres magis ad-
 huc inclaruit.

§. X.

*Novi Archiepiscopi conatus pro reci-
 pienda Constitutione.*

Post Noaillii obitum Ludovicus XV.
 Galliarum Rex cum Fleurio Cardi-
 nale, aliisque Franciæ Præsulibus de
 nomi-

nominando Successore, qui Parisinam
 Diæcesin ad deplorandum statum red-
 actam regendo par esset, consultabat.
 Eo autem tempore tam præclara Caroli
 Casparis Vintimiglia Comitis de Luc
 Aquensis Archiepiscopi virtus in ore
 & sermone omnium versabatur, ut Rex
 nil hæsitans illum accedente communi
 applausu in Parisiensem Archiepiscopum
 nominaret; sperabat enim, uti Fleu-
 rius in sua ad Ecclesiæ Parisinæ Deca-
 num epistola die quinta Maij perscripse-
 rat, fore, ut hic Præsul moderatione,
 morum comitate, & diuturna guber-
 nandi experientia inclytus vastam hanc
 Diæcesin in mansuetudine, & tran-
 quillitate moderaturus esset. Nec Re-
 gem concepta de eo opinio fefellit;
 primis enim regiminis sui auspiciis to-
 tus in eo erat, ut dissensionis semina,
 & errorum Zizania, quæ per Sacerdo-
 tum pertinaciam, mulierum fanatis-
 mum, & populi corruptionem invalue-
 rant, funditus eradicaret; id vero ut
 eo feliciter assequeretur, Noailii revo-
 cationem appellantis in memoriam
 revocavit sui que mandati executio-
 nem eo efficacius iis commendavit,
 quo arctiori vinculo eidem antea ad-
 stricti fuissent. Postea ex Ecclesiasticis
 præcipuos, ut suo exemplo ceteros ad
 imitationem perducerent, ad obsequium

Sæc. XVIII.
 A. C. 1729.

Sæc. XVIII. sacræ Sedi debitum revocare nitebatur : Hunc in finem Ecclesiæ suæ Cathedralis Canonicis habito conventu exposuit, suum Regisque gaudium fore completum, si ipsi ceteris primi debitam Constitutioni submissionem exhiberent, se eo certius sperare illos Noailii Cardinalis acceptationi adhæsurus, quo majori affectu hanc Archiepiscopum generis nobilitate, virtute, charitate ac meritis venerandum semper prosecuti fuissent. Finito hoc sermone Decanus respondit. se altera die hanc causam in Capitulo expositurum: Postquam igitur die sexta Septembris Archiepiscopus obtentæ dignitatis possessionem in Ecclesia Cathedrali adibat, mox die sequenti Decanus, uti promiserat, Canonicos, quorum tunc triginta quinque Parisiis agebant, convocavit. eisque pereleganti sermone exposuit. quanto studio Capitulum defuncto Cardinali adhæserit, æquum igitur esse, ut luculentum intimæ hujus unionis testimonium per doctrinæ, quam hic ceu ultimæ voluntatis suæ monumentum eis reliquisset, conformitatem redderent: His dictis vehementius invehebatur in eos, qui indigno prorsus modo Constitutionem Apostolicam proscidissent, hanc ergo pure & simpliciter acceptari, & Cardinalis

dinalis Noailii declarationem in usum deduci petiit. Absoluto hoc sermone Vivantius, Couetus, Montabizius, Romignyus ac ceteri omnes (exceptis quatuor) palam declarabant, se sincero animo Constitutionem recipere, & Noailii Instructionem anno priori promulgatam exequi, paratos esse.

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

§. XI.

Quorundam Parochorum oppositio.

Enimvero Archiepiscopus spe fretus erat, fore, ut tam illustre sui Capituli exemplum ceteros omnes Ecclesiasticos ad parem subjectionem animaturum esset; satis tamen mirari haud poterat, quosdam Parisinæ Urbis, & vicinorum oppidorum Parochos numero viginti quinque eo temeritatis devenisse, ut jactato animarum Zelo suam pertinaciam tueri, poenasque spirituales, quas haud immerito timebant, a se, suisque amoliri machinarentur. Hanc in rem die vigesima tertia Septembris ex suis quinque Parochos ad Archiepiscopum ablegarunt, porrecto eidem libello supplici, in quo exponebant, rumore haud incerto spargi, quod Archiepiscopus quamplurimis, iisque dignissimis Pastoribus, qui ab omnibus passim æstimati suos fideles

C 5

tanto